

versus Deum, pro liberatione, cuius spem certam conceperat. Continetur ultimis versibus: *Cantabo Jehovæ, quum bono afficerit me.* Sic obligat se ad gratitudinem, quam Synecdochice verbo canendi indicat. Hunc locum ad probanda operū merita quidam detorquent, quia legunt: *Cantabo Jehovæ, qui retribuit mihi,* sicut etiam Franciscus Vatablus vertit. At illi falluntur vitiosa lectione. Etsi enim verbum Hebræum לְמִתְהַלֵּךְ significet retribuere, rependere, reddere, non tamen semper: ideo considerandum cui loco significatio illa quadret. Huic certè apta non est, quod vetus etiam interpres vidit, qui propterea hoc loco non vertit retribuit, sed, *bona tribuit, hoc est, beneficia in me contulit.* Deinde aliena est interpretatio hypocitarum istorum à proposito Davidis. Pollicetur enim gratiarum actionem: at qualis esset gratiarum action, Deum mercedem debitam servo suo rependisse? Quod ex debito fit, gratiarum actionem non meretur. Perpendamus jam usum. Discimus inde.

I. Nos sic beneficia à Deo petere debere, ut simul ad gratitudinem pro illis nos obstringere debeamus.

II. Fidei illa est proprietas, ut salutem Je-hovæ, quamvis procul remota videatur, sibi ante oculos statuat. Exemplum hīc est in Da-vide.

III. Nos Deo nihil rependere possumus  
pro